ONUPHRIUS KOPCZYNSKI

CC. RR. SCHOLARUM PIARUM

PRAEPOSITUS PER UTRAMQUE NOVAM BORUSSIAM PROVINCIALIS

Congregatis et dispersis Fratribus salutem.

Credo ego me, non congregatorum modo, sed et dispersorum Piaristarum Provincialem creatum, et à Serenissimo Rege nostro confirmatum pro utraque nova Borussia, utrisque loqui debere. Omnes enim, ex mente sacrorum Canonum, unius Jnstituti atque Sacramenti homines, sub uno capite unius corporis membra sumus: Utrosque ergo paucis volo.

Ac primum Vos alloquor dignissimi hoc nomine, Fratres, qui castra Dei Jsràël, constanter fideliterque custodditis, veri primorum Piaristarum imitatores, qui non gravissime modo vexati, sed Pontificio Decreto funditus emoti Ordinis sustinentes fragmenta, hortante prophetico Fundatore, contra spem in spem durantes, molem Scholarum Piarum non restituerunt modo in integrum, sed per universam Europam propagarunt. Dignum hoc imitatu exemplar sufficiat vobis in proposito confirmandis. Confidite Deo, Regi atque vestris Moderatoribus, qui fiduciam congregatæ Provinciæ et spem de se conceptam minime fallent. Non eos paucitas Professorum, non murmur et obtrectatio discolorum, non senectus, non egestas, non pericula, non labores, non minæ, ex assignata sibi statione dimovebunt, *si fractus illabatur orbis, impavidos ferient ruinæ.* Sed quid sunt Duces sine Militum virtute, Obedientia præsertim atque Fortitudine? Neque Jupiter Stator audisset Romulum, nisi Romulum Milites ad fugam versi audivissent. Audite ergo qui aures habetis, atque intelligite. Rumor fatalis supprimendæ Provinciæ nostræ

sparsus est aut ab iis, qui nos in litteraria arena æmulos formidarunt, aut ab iis, qui cursum hunc currere detrectarunt. Jn re ipsa quum prudentissimum et in nos indulgentem ac liberalem Regem, quum Cameras Jmperii amicas et faventes, Loci Ordinarios addictissimos, Patriam gratam, et fiduciæ in nos plenam, habeamus, quis de nostra somniaverit ruina? Cui per Deum immortalem! verius firmiusque credamus de Existentia nostra, quam Regi potentissimo, qui eandem nobis promisit, et exeundi clausit portam inhibitorio Decreto, ne Religiosi audeant petere secularia Beneficia, sine præcedente Superiorum suorum facultate; sciunt Serenissimæ Cameræ Ordinationem istam Regiam, nemini igitur patrocinari volent.

Sed cum nulla nobis externa causa sit timenda, internas ego ipse vereor, et tempestive recidendas suadeo. Evellatur primum gliscens quædam ab aliquot annis opinio, honorificentius nobis fore, solvere nosmetipsos Scholarum Sacramento, et Dimissionem plenam á Serenissimo Rege postulare, quam novae inusitatæque rationi docendi et visitationi exterorum subjacere. O! impiam cogitationem! O! perversum atque inglorium honorem, velle Milites in acie locatos, propter disciplinæ mutationem, armis abjectis dimissionem exigere! Hæc opinio eo deinde processit, ut neque petita etiam facultate, multi e Nostris in dispersionem abierint. At enim nonne prudentis est, mutata Regni forma, rerum quoque cæterarum immutationem sequi oportere? Non ita pridem nova docendi ratio à Commissione Educationis introducta, ab initio quibusdam molestior visa, processu temporis cordi nobis omnibus fuit. Eruditi deinde omnium Nationum, una quadam societate continentur, et in commune laborant; si igitur perspicax atque laboriosissima Germanorum Natio, seu novis artibus et scientiis, seu meliori earum methodo et publicis usibus propius accommodata studia auxit et digessit; eccur tam egregiam et salutarem opem non ambabus ulnis amplectamur? Jam vero aut superbus, aut ineptus est Magister, qui eruditionem suam discipulorumque profectum nolit palam et in plena Orbis luce collocare. Si in hac paucitate Nostrorum in elementis Literaturae Germanicae nondum satis novam docendi rationem sequi atque exercere possumus; cordati atque prudentes Visitatores exteri, animum nostrum pro virili conantem, et suscipient tantisper et laudabunt, sicut non adeo pridem fecerunt Visitarores Educationis publicæ. Audient illi, audiet Berolinum apertum esse Novitiatum in principe urbe Varsaviæ, audient collectis egregiis Juvenibus nostris, suppeditari tam necessariorum librorum et instrumentorum copiam, quam optimos, tum nostros, tum externos, maxime ex Regio Lyceo Varsoviensi Præceptores, qui futuris Scholarum nostrarum Magistris et literas meliores et optimam Jmperioque accommodatam inspirent docendi rationem. Fervet opus sub vigilibus curis Directorum. Jmplebuntur brevi vacantes Cathedræ, et onera Scholarum, nunc uni imposita, dividentur. Macti igitur animis abjecta pestifera illa opinione de suppressione aut violenta, aut spontanea: sumite meliores spiritus, veriorem honorem meditaminor, quisque sibi heroicam illud in adversis dictum putans: *Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.*

Existentia ergo Provinciæ nostræ Borussiæ, tum regeneratio quædam illius omnem vestrum occupet animum. *Hinc omne principium, huc referamus exitum.*

Sed non satis est, nixos hoc principio velle finem, media quoque et sollicite quærenda, et accurate observanda. Ego vestra voluntate positus quasi in specula, investigabo, et communicabo vobiscum, tum per literas, tum in Visitationibus, quidquid tam conservationi, quam regenerationi Ordinis nostri maxime convenire videbitur. Nunc unum est, quod vobis etiam atque etiam commendem: Lectionem Legum nostrarum. Cogitate adesse vobis præsentes et Sanctissimum Jnstituti Fundatorem *Calasantium*, et sapere suam Provinciæ nostræ Restauratorem *Konarscium*. Jn tam sanctorum atque sapientum Le-

gislatorum præsentia occupabit vos quidam pudor e[illegible]r violatarum legum. Sed spiritu eorum replebimini, concipietisque ardorem et culpas vestras emendandi, propositumque sequuturæ observantiæ. Veniat etiam hoc loci in mentem vestram legis Mosaicæ relectio per *Esdram*, et tunc lachrimas quoque non poteritis prohibere. Ego ipse talia cogitans, præ lachrimis non possum plura scribere. Legamus, meditemur, custodiamusque Leges nostras, si integri, si salvi, si beati, per Provinciam Borussicam esse volumus.

Venio deinde ad Vos dispersa inclyti olim corporis membra, tot curis atque impensis Matris nostræ Provinciæ exercita. Respondete mihi ingenue, quo jure, qua conscientia, quibusve de causis Vocationem vestram abjecistis? Factane est Vobis potestas, tum a Provincia, tum a Sede Apostolica immutandi status semel suscepti atque jurati? an vestra sponte atque arbitrio rectæ conscientiæ repugnante, excussistis suave jugum Domini? Nolim ego existimare, homines Religiosis votis obstrictos, aut per avaritiam, aut per ambitionem, aut per solutioris vitæ cupidinem, a Societate Scholarum Piarum abstractos fuisse: Magistris enim in Jsrael tam absona judicandi ratio conveniret minime. Arbitrarer ego potius, viros humanis affectibus obnoxios, timore quodam et philautia exagitatos atque deceptos, ex Castris Christi alio refugisse. Videte, quam incaute, atque inconsulto egeritis. Timorem de supprimenda Borussica nostra Provincia, panicum effictumque fuisse agnoscetis: cogitantes una ex parte fabulam hanc nullo certo auctore disseminatam, forte ad probandam Piaristarum constantiam; altera ex parte meditantes solidum optimæ spei argumentum, ex Serenissimo Rege nostro sumptum, qui et paupertatem nostram liberalissime sublevat, et Professorum Nostrorum Seminarium Varsaviæ indulsit aperiri, quod jam egregie incipit efflorescere. Huc accedit nostri Jnstituti Natura, parum fortasse à vobis meditata. Quis Regum de necessitate formandi in Scholis bonos subditos percupidus abjiciat Præceptores, et rite institutos, et longo usu edoctos pro modico stipendio, aut gratis fere non honestate modo, sed etiam juramento obstrictos docendi omni meliori modo? Jnferte hinc, qualis vester fuerit timor, et qualis spes sit nostra. Quod si, Deus avertat, vere aliquid mali Ordini nostro timendum esset; putatisne Provincialem tam inhumanum atque vecordem futurum, ut vos in squallore, luctu et egestate relinqueret, et non potius omnibus modis apud Majestatem benignissimam insisteret, ut necessariis reditibus, in tali casu solvi solitis, provisi, minus mutationem status vestri doleretis? Hæc fides philautiæ vestræ fuerit medicina.

Jam quum tam levidenses secessionis vestræ sint caussæ, effectus earum puto esse graviores. Divisi in quatuor classes, quarum prima Pagorum Parochias curat, altera privata Educatione constringitur, tertia nulli certo loco addicta, Nobilium aulis importuna, quarta ... sed pudet effari. Conferte si placet omnes et singuli præsentem vestrum cum præterito statu, et inferte hinc, quid vobis sit agendum. Non enumero ego socialis vitæ nostræ commoda, nec recensebo incommoda secessus Vestri: meministis enim primorum, et altera ita credo sentitis, ut exclamare quandoque cogamini: *O! quam bonum et jucundum habitare fratres in unum.* Relinquo etiam vobis ipsis acres cujusque Conscientiæ stimulos: quo judice nemo nocens absolvitur, quo tortore nemo secum pacem habuit. Tacere non possum, quid Publicum de vobis sentiat, quid loquatur, quam vestras culpas in innocentem convertat Provinciam. Sed pervulgata atque sine dubio ad vestras etiam aures pervenientia tacere præstat, quam infandum renovare dolorem. Vix attingo expensas Provinciæ pro Educatione Vestra factas, et violatum per vos cum illa contractum. Hæc omnia et singula recogitate corde, et aliquando sapite.

Quid ergo inquietis, restat nobis faciendum? dicam breviter, agam vobiscum liberaliter: aut in sinum Matris redeundum, aut obtenta ab Ordinis et Ecclesiæ Superioribus abeundi facultate, juvandum reditibus vestris Seminarium Professorum, qui vestras

vices sunt obituri. Mortales tan[illegible]n contemnitis credo, Ordinis post mortem suffragia. Qualescunque et ubicunque sitis, credit vos Mater Provincia, carnem de carne et osse de ossibus suis: communicate ergo cum illa vivi, ut communicetis et defuncti.

Dabam Varsaviæ die 16 Novembris 1804.

Idem qui supra.

Consistorium Provinciale a S. R. M. approbatum:
RR.PP. Vincentius Jakubowski, Anselmus Zdzeński, Assistentes: Patritius Przeczytański, Antonius Dąbrowski, Consultores.

Antonius Dąbrowski
Cons: et Secret.

Ut praecedentes Litterae circulares per Provinciam nostram Borussiae congregatis aeque ac dispersis Fratribus Piarum Scholarum intimari, ac si placet, typis publicari possint, in eo consentit
Regia Camera oeconomico bellica Varsoviensis. Datum Varsoviae. Die 5ta Novembris 1804.

GOLDBECK Præses.
Peuker.